



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Jus Canonicum Practice Explicatum, Seu Decisiones Casuum**

Ad Singulos Decretalium Gregorii Papæ IX. Titulos, & ad consuetum  
Referendi modum accommodatæ. Opus Novum

Complectens alteram Decretalium medietatem, videlicet nonaginta duos  
Titulos, à Titulo XX. libri III. de Feudis usque ad finem

**Pichler, Vitus**

**Ingolstadii, 1734**

Quæstio. An Henricus ad Purgationem Canonicam sit admittendus?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62204](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62204)

quisitione speciali instituta, & causa sedulo examinata, non tamen sufficienter probata, ob defectum probationis non sufficientis, non quidem condemnatus & punitus est, sed neque absolutus & innocens declaratus. Quapropter, quia Henrico adhuc inhaesit gravis nota, nec suspicio in populo cessavit, ipsi autem grave accidebat in tali infamia & sui prostitutione porro vivere, cum adverte- ret, apud parochianos parum fiducia, reverentia, & auctoritatis se habere,

ardenter postulavit admitti ad Purgationem Canonica, ut hac via tollatur suspicio, inhaerens sibi nota, & scandalum in populo, sibi que honor & fama adeo diminuta plene restituatur, ut majori cum fructu incumbere possit in salutem animarum, ad quas curandas constitutus esset Pastor. D'u petiit, & saepius, ad Purgationem juxta SS. Canonum praescriptum faciendam admitti, sed necdum exauditus est.

## QUÆSTIO.

*An Henricus ad Purgationem Canonica sit admit-  
tendus?*

**A** Criter se opposuit quidam ex Officialibus Curia Ecclesiastica ex his causis. 1. quia in Foro Civili non est usus hujus Purgationis. 2. quia in Foro Canonico in desuetudinem abiit. 3. quia juxta recentius Jus Canonicum unicus Canonicè se purgandi modus est juramentum tum ipsius diffamati, tum compurgatorum: sed iste modus periculosus est; nam ipse Reus in causa propria & ad salvandum honorem jurare deberet, quod sine periculo perjurii fieri nequit, cum ad honorem salvandum, sicut ad vitam tuendam, eò quòd parri in æstimatione habeantur, quidlibet facile fiat: & hinc nec in foro Civili,

ubi de poena vitæ & membrorum agitur, Reus admittitur ad juramentum, quo probet innocentiam suam. Compurgatores autem, ab ipso diffamato electi, probabiliter erunt tales, qui ejusdem sunt furfuris, & maleficis patrocinantur, vel saltem facile poterunt colludere cum diffamato. 4. quia compurgatores solum jurant de credulitate: sed testi deponenti solum de credulitate in facto alieno fides non est adhibenda. Glossa & DD. in l. 18. C. de testib. communiter plerique omnes. 5. quia non opus est ista Purgatione per juramentum, cum secundum Jura Reus, si non probetur delictum, hoc ipso absolvatur,

Dd 3

etsi



etsi nihil præstiterit. *l. fin. C. de R. V. l. 9. C. de Obl. §. At.* adeoque etsi nec juraverit; proinde juramentum sine causa, consequenter sine necessario comite, Judicio, fieret. 6. quia diffamatus facile posset jurare sub æquivocatione, jurando scilicet, se innocentem esse, quod verum foret, si interea egisset pœnitentiam, & à suis delictis absolutionem consecutus fuisset: ad quid ergo proderit Purgatio Canonica? Populus tamen non crederet, immunem à perpetratis delictis fuisse. 7. quia infames secundum Jura non sunt admittendi ad juramentum, per *c. 1. 7. 9. b. t. cum* neque possint esse testes, præsertim in Criminalibus, cum testes oporteat esse juratos. *c. 13. c. 54. de testib. l. 3. §. 5. ff. eod.* Sed Henricus jam effectus est infamis per diffamationem: ergo.

Verùm his omnibus non obstantibus putarem ego, Henricum ad Purgationem Canonica[m] admittendum esse, & valde salubriter admitti. Fundamentum sic opinandi sumo tum ex Jure Canonico, tum ex Ratione. *Jus Canonicum* planè vult imò jubet in hujusmodi casibus Purgationem Canonica[m] per juramenta adhiberi, uti in *can. 5. seqq. can. 12. §. 13. caus. 2. q. 5. item c. 1. 3. 4. 5. 6. 10. b. t.* specialiter autem, si petat diffamatus. *c. 12. eod.* Ergo etiam in hoc casu Henricus, præsertim ad instantiam suam, ad Purgationem Ca-

nonicam, in suo juramento de veritate, & compurgatorum duorum, trium, vel plurium pro arbitrio Episcopi (numerus enim Compurgatorum, licet in Jure nonnunquam multi fuerint præscripti, factus est arbitrius, ut passim notant DD.) juramento de credulitate consistentem admittendus est, si hæc purgatio ob desuetudinem non ex officio vel ex necessitate fuisset indicenda & injungenda ab Ordinario. *Ratio* autem est, quod minimè expediat Reipublice Christianæ, imò maxime obsit, si personæ in officiis honoratis constitutæ, præsertim Ecclesiasticæ, & curam animarum exercentes, de gravibus delictis semel accusatæ, vel denunciatæ, vel publicè diffamatæ semper vel diu maneant suspectæ; cum inde oriri scandalum in populo, diffidentiam erga Pastores, vilipensionem status Sacerdotalis, Superiorum &c. oriri pronissimum & vix non necesse sit. Et hinc Purgatio Canonica, tanquam remedium, quo ista suspicio, nota, & inde emergentia incommoda tollantur, saluberrimè adhibetur, & optant DD. sæpius adhiberi, præsertim in Foro Canonico, atque introduci in Forum Civile.

Argumenta dicti Officialis Adversarii parùm vel nihil negotii faciunt. *Primum*, quia mirum non est, in Foro Civili hoc genus Purgationis, utpote à solo Jure Canonico & pro Foro Canonico introductum, in usu non esse,



esse, quamvis etiam in Foro Civili Purgationem Canonica alicubi ultronea acceptatione utiliter ac laudabiliter observari testentur DD. *Secundum*; quia, sicut non pauca observantur in Foro etiam Canonico præter vel Jus Canonicum, ita non raro contingit bonas ac utiles SS. Canonum leges non observari, & in desuetudinem abire: quo tamen non obstante, cum ista desuetudo præcisè usum Purgationis Canonicae, fors non sine præjudicio boni publici, abrogaverit, ita ut eam adhibere non sit obligatorium, rectè tamen & licitè nonnunquam adhibetur, ubi iusta exigit causa, uti hic videtur exigere; cum per istam non observantiam non sit sublata licentia ac potestas adhibendi, tam disertè à SS. Canonibus non tam permiffa, quam præcepta. *Tertium*; quia iste modus se purgandi non tantum habet periculi perjurii, quam utilitatis, ut nimirum vel delicta, si purgandus in probatione vel deficiat, competenti pœna afficiantur, si purgatione fiat, suspicio criminis tollatur, & diffamatus honori, famæ, & publicæ existimationis, quæ plurimum interest Sacerdotum, Prædicatorum, Verbi Divini, Parochorum, Prælatorum, aliarumque personarum Ecclesiasticarum ad cavendum scandalum ac damna spiritualia; nam harum integritas famæ christiano populo est valde necessaria. Juramentum ipsius Purgandi, quamvis de

ejus honore, & sic propria causa agatur, SS. Canones non habent suspectum, fors propter honestatem & statum personarum, ac propter boni publici necessitatem, sicut suspectum non habent leges juramentum necessarium, quod Judex defert Parti in casu non sufficientis probationis, licet per hoc illa constituatur quasi Judex & testis in propria causa. Quod in causa sanguinis non deferatur vi usus juramentum Reis, ratio esse potest, quod hujusmodi personæ sint ordinariè viles, criminosa, & merito suspecta de perjurio ad redimendam vitam & membra faciendo, nec Leges in iis tantum ponant fiducia veritatis juramentò afferendæ, quantum in personis, quas SS. Canones purgari à suspitione criminis tantopere desiderant. Est ergo hic casus exceptus à communi lege. Pariter juramentum compurgatorum, licet jurent de credulitate, nimirum se credere verum esse, quod Purgandus juravit, est specialiter approbatum à SS. Canonibus, ac proin casus à communi lege exceptus. Ne compurgatores paris furfuris vel homines perfidi & malitiosi eligantur à Purgando, satis præviderunt SS. Canones, quod illos tantum statuunt admittendos esse, qui sciuntur vel communiter creduntur esse homines honesti, integræ famæ, ac vitæ. c. 1. 7. 9. *b. t.* item qui sunt noti, & de vita Purgandi notitiam habent. Collusio non est præsumenda, cum hujusmodi

dij



di homines censeantur esse salutis suæ non immemores. *Quartum* immediate antè jam fuit expeditum. *Quintum*, quia utilitatem, si non necessitatem Purgationis Canonice, specialiter etiam pro hoc casu, jam ostendimus. In Criminalibus non procedunt illæ leges, Reum absolvi jubentes, ubi deficit sufficiens probatio, sed in Foro Civili, si crimen est semi-vel plusquam semiplene probatum est, non tamen plene, adhibetur tortura, vel infligitur pœna arbitraria, in Foro autem Canonico SS. Canones volunt adhiberi Purgationem Canonice ad tollendam infamiam & scandalum. Populus, ubi auctoritate publica post Purgationem legitimam innocentia Purgandi publice declarata, & sic suspicio criminis abolita, non est præsumendus, quod non mutet iudicium suum, ac suspicionem dimittat, saltem plures ac honestiores de populo. *Sextum*, quia, si fiat Purgatio juxta præscriptum SS. Canonum, remove-

tur periculum æquivocationis, eò quod Purgandus non permittatur jurare, se innocentem, vel immunem esse à delicto, sed *c. fm. h. t.* jubeatur juramentò asserere, se illa crimina graviora, de quibus infamatus est, non commississe. Denique *Septimum*, quia, licet infamibus infamiã Juris non sit indicenda Purgatio, indicenda tamen est infamibus infamiã facti, vel infamatis aut diffamatis de gravi crimine, uti SS. Canones expressè volunt, & sic iste casus est exceptus, ut in eo admittatur juramentum ab infamato. Dein negatur, infamatum & diffamatum, si crimen satis non est probatum, verè esse infamem, etiam infamiã facti tantum, cum infamia requirat notorietatem & notitiam delicti certam, ac quilibet præsumendus bonus, nisi probetur malus. Allegata *cc. 1. 7. 9.* loquuntur de Compurgatoribus, quorum utique fama & fides debet esse integra.

